

§. I.

Constructio sequentium Tabularum.

Constructio Tabularum hæc est. In paginis sinistris continentur quantitates semidiurnæ pro Signis Borealibus, in dextris quantitates semidiurnæ pro Signis Australibus. In vertice paginarum sinistrarum exprimuntur numeris altitudines poli, pro quibus serviunt Tabulæ. In lateris sinistri columna prima continentur gradus terni trium Signorum V , X , II , dispositi ordine à summo deorsum; in columna secunda, dictorum trium signorum Charakteres; in tertia, dies mensium signis & signorum gradibus respondentes; in quarta, nomina mensium. In lateris dexteris columnæ prima ad dexteram continentur gradus terni trium Signorum I , L , III , dispositi ordine ab imo sursum; in columna secunda, ipsa tria signa; in tertia, dies mensium signis prædictis correspondentium ordine retrogrado; in quarta, nomina mensium. In columnis intermediis continentur quantitates semidiurnæ respondentes lateralibus signis, mensibus, gradibus, diebus, in locis quorum altitudo poli suprascripta est.

In vertice paginarum dexterarum exprimuntur numeris eadem altitudines poli, quæ in sinistris sunt expressæ. In lateris sinistri prima columnæ continentur gradus terni Signorum I , M , X , dispositi ordine à summo deorsum; in columna secunda, ipsa signa; in tertia, dies mensium correspondentium; in quarta, nomina mensium. In dexteris lateris columnæ prima sunt gradus Signorum I , M , X , dispositi ordine ab imo sursum; in secunda, ipsa signa; in tertia, dies mensium correspondentium; in quarta, nomina mensium.

Eodem prorsus modo Tabulas quantitatis dierum & noctium disponit P. Clavius in Commentariis ad Caput 3. Sphæræ, ex quibus sequentes desumpsi. Alii aliter easdem disponunt.

Sed hic ordo mihi magis arridet, quam aliorum, quia non tantum gradus signorum, sed etiam dies mensium continent.

Cggg 2

§. II. Usus